

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2031

**Auteur(s) :** Cadoc, châtelain de Gaillon [autre]

**Bénéficiaire(s) :** Gaillon, Saint-Antoine (chapelle)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1205...

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Autre charte par laquelle Cadoc, châtelain de Gaillon, déclare avoir fondé à Gaillon la chapelle de saint Antoine, et lui avoir donné différents biens, dont il donne le détail.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 148-149.

b. Bonnin Théodore, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CIX, p. 147-148.

## Dissertation critique

« Vers 1205 » : datation proposée par Th. Bonnin.

Texte établi d'après b

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, Caducus, castellanus Gaillonis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra me, divine pietatis intuitu, et pro salute domini mei Philippi regis Francorum et Ludovici filii ejus, et anime mee et antecessorum meorum, quamdam capellam in honore Dei et sancte Marie et beati Anthoni apud Gaillonem contruxisse, ad cujus dedicationem et consecrationem interfuerunt viri venerabiles L. Ebroicensis, W. Abricensis et J. Lexoviensis episcopi, quorum consilio et admonitione, divina gracia inspirante, in prefata capella canonicis ibidem Deo servientibus redditus et beneficia subscripta in in puram, liberam et perpetuam elemosinam dedi et concessi.

Videlicet : apud Burgum Torodi, quatuordecim libras quas debent heredes Lamberti, annuatim recipiendas ad festum sancti Remigii et sex libras in prepositura ejusdem ville, recipiendas per manum prepositi Henrici de Ferrariis ad Pascha.

Preterea totam terram meam quam habebam apud Boscum Rogerii, in terris, in hominibus, in redditibus, in serviciis et in omnibus illis que debent et solent venire ad manum meam.

Item, apud Lintetot, terram meam cum omnibus pertinentiis suis, solutam et immunem ab omni servitio seculari. Apud Gaillonem, sexaginta quindecim solidos monete currentis annui redditus in tribus hospitibus infra Gaillonem, quos de meo proprio adquisivi, scilicet, triginta solidos de Galtero Vincu ; viginti quinque solidos de Galtero Marescot ; viginti solidos de Johanne Fabro, certis terminis persolvendos.

Item, apud Sanctum Vincentium juxta Meiseum, dedi predictis canoniciis totum tenementum meum in terris, in hominibus, in nemoribus et aliis pertinentiis.

Item, apud Gaillonem, centum solidos in prepositura Gaillonis et dimidium modium bladi in molendinis de Alba Via, et domum lapideam ante fontem Gaillonis, cum duobus hospitibus ante dictam domum residentibus ; et decem acras bosci in bosco Heimmardi, et vicum de Medunta apud Gaillonem.

Item, apud Longam Villam, unum barillum vini.

Item, apud Fugeroles, presentationem ecclesie sancti Amandi cum duabus garbis et duas garbas totius parrochie sancti Johannis de Formovile et viginti solidos in feria sancti Laurentii de Burgo Torodi ; in prepositura mea de Mosteroel, centum solidos annuatim ad duos terminos persolvendos.

Item, apud Gaillonem, capellam castri cum omnibus pertinentiis suis ; presentationem quoque ecclesie sancti Leodegarri de Grolai, et presentationem sancti Audoeni de Fresneia Faiel.

Item, presentationem sancti Dionisii de Mannavilla ; apud Wasam duas acras prati in parrochia de Cornevilla.

Item, apud Corchon, Gaufridum de Bisson, cum omnibus redditibus et servitiis suis que mihi faciebat, et insulam de Gardon, et unum sextarium frumenti in parrochia Sancti Martini Veteris juxta Bernaum, et unum sextarium grossi bladi in molendino de Mesnillo Fontis juxta Briognium.

Item, in prepositura de Ponte Erchenfredi, quinquaginta quinque solidos currentis monete et unum burgensem cum suis tenementis, scilicet Guillot Chabot ; in parrochia de Belloet, unum hospitem cum tenemento suo, scilicet Willelmum Guislard, et duos solidos per manum Anfridi Sebire.

Item, apud Maneval, pratum Druion.

Item, apud Gaillonem, vineam de Heron et vineam de Hanter, et domos defuncti Huberti sacerdotis.

Item, apud Codreium, presentationem ecclesie beati Petri, et Rogerum Galeren, et filios Ricardi Filioli cum tenementis suis.

Item, apud Appevillam, centum solidos in molendino Pagani.

Preterea, ad opus cantuarie, sexaginta solidos Parisiendum, et unum modium frumenti apud Torni.

Et ut hec nostra donatio et concessio perpetue firmitatis robur obtineat presens scriptum sigilli mei munimine roboravi.